

EXCLUSIO SACRAMENTALITATIS MATRIMONII EX PARTE BAPTIZATORUM NON CREDENTIUM: ERROR VEL POTIUS SIMULATIO?

SUMMARIUM: Quaestionem magis magisque exagitatam in iure canonico circa matrimonia baptizatorum non credentium Auctor pertractat iuxta categorias stricte iuridicas. Considerationes canonicae in fundamentis theologicis radican- tur atque per analysim actus consensus iuxta methodum scientiis humanis propriam specificantur. Ex quibus considerationibus Auctor pervenit ad specificam quaestionem circa categoriam magis propriam in qua casus exclusionis sacramentalis dignitatis matrimonii collocari possunt: categoria simulationis potius quam erroris voluntatem determinantis proponitur cum consecrariis ad viam demonstrationis in processu nullitatis matrimonii pertinentibus.

1. STATUS QUAESTIONIS

Inter quaestiones postremis temporibus magis exagitatas in iure matrimoniali et processuali canonico adnumeranda est quaestio matrimoniorum inter baptizatos qui videntur et immo confitentur se non amplius fidem servare et qui nihilominus nuptias rito religioso celebrare desiderant rationibus sicdictis profanis compulsi. In iure processuali eadem quaestio maximi momenti fit cum coniuges nullitatis declarationem petunt sui matrimonii dicentes carentiam fidei secumtulisse exclusionem sacramentalis dignitatis foederis coniugalis.

Idem problema diversis respectibus considerari potest: scientia theologica attingitur cum in eadem quaestione de valore sacramentorum eorumque cone-

xione et efficacia disputatur; scientia canonica evidenter partem habet cum de capacitate illorum contrahentium investigandum est necnon de validitate foederis coniugalis initi iudicandum; et denique quaestio fit generis pastoralis relate ad rectam praeparationem et cathechesim sponsorum eorumque salutem et participationem ad vitam Ecclesiae.

Diversi respectus eiusdem quaestionis oportet ut simul considerentur sed bene inter sese distinguantur ad confusionem vitandam circa conceptus diversis scientiis pertinentes. Quapropter intentio huius investigationis in lucem statim ponenda est: illam quaestionem pertractamus iuxta categorias canonicas etiamsi elementa theologica et pastoralia minime oblivioni dare possimus. Et modo magis praeciso quaestio restringitur ad problema iuris processualis cum coniuges declarationem nullitatis petunt ob exclusionem sacramentalis dignitatis sui matrimonii.

Factispecies pressius specificanda est: agimus de casu baptizatorum catholicorum qui nullitatem petunt quia tempore suarum nuptiarum non amplius fidem servabant (etiamsi fidem catholicam nec actu formali nec notorie reliquerint) et nihilominus ritum religiosum celebraverunt ob rationes sic dictas profanas (ex.gr. rationem sociologicam, psychologiam, aestheticam, etc.). Quaestio restringitur ad dubium circa intentionem partium (vel saltem alterutrius coniugis) contrahendi matrimonium uti sacramentum, i.e. admittendi dignitatem sacramentalem foederis coniugalis extantibus ceteris elementis essentialibus matrimonii christiani. Aliis verbis, coniuges in casu habiles et capaces considerantur consensus eliciendi simulque volentes pactum coniugale indissolubile et fidele instaurare. Difficultas vertit circa illum gressum a fidei carentia ad intentionem coniugum excludendi sacra-

mentalitatem matrimonii etsi ob quasdam rationes ritum religiosum celebrare intendunt: quomodo concordare possumus obiectivam elevationem pacti coniugalis ad sacramentalem dignitatem a Christo peractam cum subiectiva dispositione contrahentium baptizatorum non amplius in fide perseverantium? Uti patet, quaestio stricte iuridica solvi nequit nisi elementa theologica circa notionem sacramentorum baptismatis et matrimonii considerentur, sed oportet quoque ut actus humanus decisionis, seu consensus, attente aestimetur iuxta analysim scientiarum humanarum ad applicandos conceptus theologicos et iuridicos concretae humanae realitati seu personae.

2. ELEMENTA THEOLOGICA CUM QUAESTIONE IURIDICA CONEXA

Haud intendo, et impossibile videtur hoc in contextu, plenam expositionem theologiae sacramenti matrimonii proponere secus tota theologiae catholicae historia hac de materia facienda esset. Relate ad cetera sacramenta, huius sacramenti matrimonii nota specifica consistit in eo quod Christus inter baptizatos ad dignitatem sacramentalem elevavit illud foedus quod iam in ordine naturali seu creaturali vigeat et quo «*vir et mulier inter se totius vitae consortium constituunt*» et quod «*indole sua naturali ad bonum coniugum atque ad prolis generationem et educationem ordinatum*» est (can. 1055 § 1). Sufficiat germana expositio notionum quas hodie Magisterium Ecclesiae et sana doctrina uti certas tenent post gradualem et saepe controversam intelligentiam eiusdem mysterii salvifici in matrimonio operantis, sepositis quaestionibus et incertitudinibus praeteriti temporis, quarum solutio nunc doctrinam communem clarius patet.

L. LIGIER in sua synthesi de matrimonio¹ optime indicat multiplicitatem significationum quibus sacramentum matrimonii a Deo Creatore et Redemptore ditatum est. Auctor loquitur de tribus significationibus simul ad essentiam matrimonii pertinentibus:

a) in matrimonio habetur «sacralitas» creaturalis eo sensu quod iam in ordine creationis unio coniugalitatis inter virum et mulierem uti aliquid sacrum considerata est quia relationem cum Deo Creatore habebat, i.e. iuxta eius mentem divinam libertati humanae proposita est;

b) in matrimonio considerata est quoque «sacramentalitas» sensu biblico et patristico: «*Una cum Ecclesia coniuges baptizati contra mysterium iniquitatis pugnant ad promovendum adventum Christi mysterii eiusque Corporis quod Ecclesia est*»². Vita coniugalitatis, aliis verbis, sacra considerata est quia in eiusdem exercitio coniuges missionis redemptivae Ecclesiae participes sunt;

c) et tandem matrimonium significationem specificam «sacramenti» habet quia fons est et via gratiae atque salutis: matrimonium «*coniugibus gratiam sanctificantem confert, iisdem promittit atque re vera praebet auxilia ad vitam et officium coniugale christianum necessaria*»³.

Intelligentia specifica sacramentalitatis matrimonii christiani, quae iam tempore apostolico et patristico ex textu S. Pauli (*Eph.* 5,32) inceperat, in Concilio Tridentino sollemniter atque plene invenitur ita ut matrimonium unum ex septem sacramentis

¹ L. LIGIER, «*Il Matrimonio*», Città Nuova Editrice, Roma, 1988.

² *Ibid.*, p. 56.

³ *Ibid.*, p. 56.

tenendum sit, a Christo institutum et gratiam conferens (Sessio XXIV, anni 1563). Relatio inter baptismum et matrimonium maximi est momenti in nostra quaestione. De fide tenendum est per baptismum personam Ecclesiae incorporari⁴, quae est simul Corpus mysticum Christi et institutio visibilis qua omnibus hominibus veritas et gratia praebentur⁵.

Incorporatio Ecclesiae necessaria est ad celebrandum sacramentum matrimonii et pro iis qui ad Ecclesiam pertinent per baptismum non datur matrimonium validum quin eo ipso sit sacramentum. Nam, sine baptismo deest illa participatio vitae Ecclesiae cui Christus missionem conferendi gratiam per sacramenta mandavit: matrimonium non baptizatorum ergo tantummodo valorem illum habet naturalem, seu iuxta mentem Dei Creatoris, de quo superius locutus sum.

Altera ex parte baptizati nequeunt suum statum elevationis ad gratiam redemptivam et incorporationem Ecclesiae relinquere ita ut matrimonium tantummodo naturale celebrare possint quod sit validum sed non sacramentum (can. 1055 § 2). Agitur de inseparabilitate inter pactum coniugale validum et sacramentum pro baptizatis, quae uti doctrina certa et communis tenenda est.

Quae inseparabilitas minime intendenda est modo automatico ita ut intentio contrahentium nullum habeat spatium vel momentum. Condicio seu status personae baptizatae non est ratio formalis matrimonii christiani; quia matrimonium partium consensu fit; consensus autem est *«actus voluntatis, quo vir et mulier foedere irrevocabili sese mutuo tradunt et acci-*

⁴ *Lumen Gentium*, 11.

⁵ *Ibid.*, 8.

piunt ad constituendum matrimonium» (can. 1057 § 2).

Ad bene perpendendum utrumque elementum (i.e. condicio obiectiva baptizatorum ad statum elevationis gratiae et eorum intentio circa sacramentalitatem matrimonii), scientia theologica distinctionem fecit inter validitatem et fructuositatem sacramentorum receptionis ita ut prior etiam sine altera extare possit. Altera ex parte idem Concilium Tridentinum affirmavit necessitatem intentionis saltem «*faciendi quod facit Ecclesia*» pro iis qui sacramenta administrant. Datur ergo quaedam relatio quoque inter validitatem sacramentorum et intentionem subiectivam ministrorum. Quod maximi fit momenti si consideramus coniuges in celebratione nuptiarum ministros sacramenti quoque esse.

In suis quibusdam propositionibus de matrimonio christiano Commissio Theologica Internationalis affirmat:

«Sacramentum matrimonii, ut coetera sacramenta, ultimam gratiam communicat ex virtute operis a Jesu Christo operati et non solum per fidem recipientium. Sed hoc non significat extra fidem aut sine ulla fide in matrimonii sacramento gratiam dari. Ideo sequitur secundum principia classica: Fides est praesuppositum et quidem "causa dispositiva" effectus fructuosi, sed validitas non necessario implicat fructuositatem matrimonii. (...) Intentio vera ultimam fide viva nascitur et nutritur. Ubi ergo nullum vestigium fidei quae talis et nullum desiderium gratiae et salutis invenitur, dubium facti oritur, utrum supradicta intentio generalis et vere sacramentalis reapse adsit, et matrimonium contractum validum sit an non. Fides personalis contrahentium per se, ut ostensum est, non constituit sacramentalitatem matrimonii, sed sine ulla fide personali validitas sacramenti infirmaretur»⁶.

⁶ COMMISSIO THEOLOGICA INTERNATIONALIS, «*De Matrimonio christiano*», n. 2.3, in, «*Enrichiridion Vaticanum*», 6, p. 383.

L. LIGIER animadvertit in actuali Rituali Romano relate ad sacramentum matrimonii sequentem admonitionem: «*In primis pastores foveant nutrantque fidem nupturientium: Sacramentum enim matrimonii fidem supponit atque expostulat*» et quaerit utrum verbum «*expostulat*», quod in textibus Concilii Vaticani II non aderat, interpretari possit ut stricta condicio pro validitate sacramenti an uti simplex pastoralis instantia⁷. Sed pro certo tenenda est positio iuxta quam sufficit intentio faciendi quod facit Ecclesia pro validitate sacramenti, cuius fructositas e contra directe a gradu fidei recipientium pendet. Quaestio de conexione inter fidem et intentionem faciendi quod facit Ecclesia aperta remanet sed quaestio facti est et ergo mediis ad scientias magis practicas pertinentibus solvenda est.

3. QUAESTIO IURIDICA

In normis canonicis inveniri possunt vestigia illorum conceptuum ad scientiam theologicam pertinentium de quibus supra locutus sum.

Doctrina de inseparabilitate inter sacramentum matrimonii et validitatem foederis coniugalis pro baptizatis in can. 1055 § 2 Codicis Juris Canonici continetur. Invenire possumus aliquas normas canonicas concernentes subiecta quae tenentur vel non ad illud principium. P. NAVARRETE optime easdem normas recenset⁸:

— baptizati extra Ecclesiam Catholicam et numquam in eam recepti legibus Codicis Juris Canonici non tenentur (can. 11) ne illis quidem materiam

⁷ L. LIGIER, *op. cit.* (supra, nt. 1) p. 140.

⁸ U. NAVARRETE, «*Diritto fondamentale al matrimonio e al sacramento*», in «*Quaderni di Diritto Ecclesiale*», 1 (1988) 77.

matrimoniale respicientibus (can. 1059); hi acatholici baptizati cum matrimonium validum iuxta suum ritum contrahunt verum sacramentum conficiunt etsi doctrina suae ecclesiae sacramentalitatem matrimonii non admittit;

— baptizati in Ecclesia catholica (vel in eandem recepti post baptismum extra Ecclesiam catholicam) si actu formali ab ea defecerint, etiamsi legislationem canonicam observare debeant, a forma canonica matrimonii eximuntur (can. 1117) atque in impedimentum disparitatis cultus non incurrunt (can. 1086 § 1): eorum matrimonium cum iis qui ad formam canonicam non tenentur validum est; si e contra matrimonium cum parte catholica fidei contrahunt ad normas matrimonia mixta respicientes (cann. 1124-1125) tenentur;

— catholici qui notorie fidem catholicam abiciunt ad sacramentum matrimonii sine licentia Ordinarii loci admitti nequeunt (can. 1971 § 1, 4^o); Ordinarius autem condiciones in can. 1125, congrua congruis referendo, servare debet (can. 1071 § 2).

Codex Juris canonici in ceteris casibus nullam facit distinctionem inter baptizatos credentes vel non credentes relate ad celebrationem sacramenti matrimonii, sed JOANNES PAULUS II in Adhortatione apostolica «*Familiaris Consortio*» principium pastorale praebet circa dispositiones christifidelium sacramentum matrimoniale petentium: solummodo cum contrahentes modo explicito et formali excludunt voluntatem faciendi quod Ecclesia facere intendit in celebratione sacramenti matrimonii pastores possunt et debent celebrationem eiusdem matrimonii negare⁹.

⁹ JOANNES PAULUS II, Adhortatio Apostolica «*Familiaris Consortio*», n. 68.

Codex multas continet normas relate ad consensum matrimonialem, cuius defectus vel vitium essenziale nullum reddit matrimonium. Inter consensus defectus, praeter casus incapacitatis (can. 1095) et ignorantiae (can. 1096), haberi possunt casus erroris et simulationis qui directam conexionem cum exclusione sacramentalitatis habere videntur.

Can. 1099 statuit errorem circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem non vitare consensum matrimonialem «*dummodo non determinet voluntatem*»: hac in norma illud principium traditionale servatur quo distinguuntur elementa quae intellectum tantummodo afficiunt sine efficacia pro actu voluntatis (simplex error) ab aliis elementis directe in voluntatem influentibus (error determinans voluntatem).

In can. 1101 § 2 considerantur casus simulationis sive totalis sive partialis. Cum agitur de simulatione partiali, i.e. cum contrahens positivo actu voluntatis excludit «*matrimonii essenziale aliquod elementum vel essentialem aliquam proprietatem*», legitime quaeritur quatenam sint haec elementa vel proprietates essentielles matrimonii et, in nostro casu, utrum dignitas sacramentalis inter haec elementa essentialia adnumeranda sit. D. FALTIN recte adnotat:

«Conexio cum "sacramentali dignitate" implicite in parte finali can. 1055 § 1 continetur (...). Qua ex formulatione patet sacramentalitatem esse elementum essenziale, inseparabile atque indivisibile a matrimoniali baptizatorum pacto, cum logicis consecrariis iuridicis concernentibus anomalias consensus de quibus in can. 1099 Codicis J.C.»¹⁰.

¹⁰ D. FALTIN, «L'esclusione della sacramentalità del matrimonio con particolare riferimento al matrimonio dei battezzati non credenti», in «Quaderni "Studio Rotale"», IV, Libreria Leoniana, Roma, 1989, pp. 24-25.

In hoc postremo canone, etenim, invenitur explicita mentio sacramentalis dignitatis una cum aliis proprietatibus essentialibus unitatis et indissolubilitatis iuxta mentem Praefecti Congregationis pro doctrina fidei qui dubia Commissionis praeparatoriae solvit.

Duae ergo videntur praecipuae viae quibus intentio excludendi sacramentalem dignitatem manifestari et probari potest: error circa eandem sacramentalitatem matrimonii christiani qui voluntatem contrahentis determinat atque partialis simulatio seu internus actus positivus voluntatis contra sacramentalitatem quo externus consensus contradicatur.

Doctrina et jurisprudentia rotalis non sunt uniformes relate ad aestimationem exclusionis sacramentalitatis matrimonii et minime relate ad caput nullitatis in quo factispecies collocari potest. Relate ad caput simulationis jurisprudentia praeterito tempore solebat considerare exclusionem sacramentalitatis sub capite simulationis totalis, nunc, e contra, vi canonis 1099, admittenda est quoque possibilitas simulationis partialis uti autonomum caput nullitatis, uti recte Z. GROCHOLEWSKI adnotat:

«Mihi videtur sacramentalitatem excludi posse eodem modo et iisdem cum effectibus ac matrimonii unitatem vel indissolubilitatem. (...) Non intelligitur quomodo haberi possit consensus vere matrimonialis si excludatur elementum absque quo matrimonium extare nequit. Est contradictio affirmare matrimonium validum inter baptizatos consistere non posse quin sit sacramentum, et insimul dicere positivam exclusionem sacramentalitatis non vitare consensum»¹¹.

¹¹ Z. GROCHOLEWSKI, «Crisis doctrinae et iurisprudentiae rotalis circa exclusionem dignitatis sacramentalis in contractu matrimonii», in «Periodica» 67 (1978) 292.

Ad errorem determinantem voluntatem quod attinet in jurisprudentia et doctrina maiorem vim tempore obtinet sententia eorum qui exclusionem sacramentalitatis sub hoc capite nullitatis includere aestimant. Inter quos M.F. POMPEDDA sequentem thesim proponit:

*«carentia fidei, sub aspectu iuridico, potest et immo debet iuxta categoriam "erroris personam pervadentis" considerari, i.e. erroris qui, iuxta terminologiam et normam positivam Codicis canonici, talis est ut voluntatem determinet»*¹².

Et non desunt qui, uti refert FALTIN¹³, aestiment eundem errorem posse talis momenti esse ut contrahentem incapacem assumendi obligationes essentielles matrimonii reddat iuxta dispositionem canonis 1095, n. 3.

Opiniones multae et diversae circa hanc quaestionem indicant difficultatem problematis cuius effectus non solummodo theoriam sed etiam praxim vitae christianae attingunt. Meo iudicio recta solutio pendet a methodo qua problema in sua totalitate consideratur. Oportet ut principia et theologica et iuridica recte applicentur humanae realitati, quae tamen antea profundius examinanda est auxilio scientiarum humanarum quae circa implexitatem processus humanae decisionis investigant modo autonomo ac specifico. Incipiendum ergo est ab illa humana realitate quae in nostro casu est persona baptizata quaeque, etsi non amplius credens vel religionis ob-

¹² F.M. POMPEDDA, *Fede e sacramento del matrimonio*, Quaderni «Studio Rotale», II, Libreria Leoniana, Roma, 1987, p. 56.

¹³ D. FALTIN, *art. cit.* (supra, nt. 10) p. 34.

servans, tamen ritum religiosum pro suis nuptiis desiderat.

Si anthropologiam christianam una cum auxilio scientiarum humanarum prae oculis tenemus¹⁴, in analysi humanae decisionis considerata sunt omnia elementa quae in actu voluntatis partem habent. Agitur de elementis quae pertinent ad dimensionem sive rationalem sive instinctualem seu sensibilem creaturae humanae quae in sua natura ita divisa est ut ex una parte illam tendentiam sese transcendendi et ad Deum tendendi conservet et ex altera parte tendentias oppositas experiatur quae contra verum et obiectivum bonum militent. Quae obstacula ad finem ultimum obtinendum tribus in dimensionibus seu ordinibus collocare possumus:

— 1a dimensio, ubi inveniuntur obstacula generis moralis quae pertinent ad responsabilitatem personae quae, etsi sit conscia veri et obiectivi boni, malum eligit quia utilius atque facilius ei videtur;

— 2a dimensio, ubi obstacula minime a subiecto intelliguntur quia extra suam conscientiam originem habent: persona eligit quod obiective malum est sed ei videtur sub vestigium boni (bonum apparens) ob influxum elementorum absconditorum in iudicio rationali cum reductione libertatis effectivae subiecti;

— 3a dimensio, ubi obstacula pertinent diverso gradu ad perturbationes psychicas usque ad possibilitatem auferendi substantialiter libertatem et responsabilitatem decisionis ex parte humanae personae¹⁵.

¹⁴ Cfr. G. VERSALDI, «Elementa psychologica matrimonialis consensus», in «Periodica» 71 (1982) 179-209.

¹⁵ Cfr. L.M. RULLA, «Antropologia della vocazione cristiana», vol. I, Ed. PIEMME, Casale M., 1985, pp. 5-17.

In nostro casu, i.e. cum agimus de baptizatis qui rationibus sic dictis profanis ritum religiosum celebrare intendunt, patet tertiam dimensionem excludendam esse quia consideramus casum eorum qui capaces sunt decisionis vere humanae et quaestio vertit circa eorum intentionem de sacramentalitate matrimonii. Pressius considerandae sunt condiciones eorum qui pertinent ad primam et ad secundam dimensionem.

Baptizatus contrahens conscius valoris sacramenti matrimonii qui tamen illum excludere intendit ratione oneris et ad servandam suam ampliorem libertatem vel commodum, ad primam dimensionem pertinet ubi subiectum videt bonum sed malum eligit.

Si, e contra, idem contrahens putat exclusionem sacramentalitatis bonum esse ideoque valorem sacramentalem excludit, tunc sistimus in secunda dimensione ubi elementa sive interna sive externa influxum habent in processum decisionalem sine conscientia ex parte ipsius subiecti quod in sua capacitate aestimandi et eligendi boni (in casu agitur de elevatione matrimonii ad sacramentalem dignitatem) turbatur. Quae obnubilatio mentis et voluntatis in hoc casu sine responsabilitate morali videtur quia contrahens processum quibus falsum bonum eligit in actu haud conscius est.

Uti patet, datur substantialis differentia inter primam et secundam dimensionem relate ad processum decisionalem: in prima dimensione contrahens conscius est boni veri et obiectivi relate quoque ad sacramentalitatem sed, ratione fragilitatis suae voluntatis, in decisione ferenda quod est facilius et immediate utilius mavult. Agitur ergo non de errore, sed de peccato in campo morali. In secunda dimensione, e contra, obstacula interna et externa aestimationem rationalem quoad verum bonum turbant sine con-

scientia subiecti. Agitur de errore non culpabili in campo morali. Sed ut error in bono aestimando influat in decisionem finalem seu in consensum oportet ut idem error ceteris rationibus contrariis praevalcat sive in ordine conscio sive in ordine subconscio. Semper etenim vitandus est determinismus cum agimus de persona humana normali etiamsi subiectum obstaculis turbetur ex dimensione quoque subconscia provenientibus, quia humana libertas his in casibus minuitur in efficacia sed substantialiter non aufertur¹⁶. Et error in bono aestimando ob causas generis subconscii potest praevalere tantummodo si idem error fiat actus positivus voluntatis consciae ita ut contrahens, etsi sine culpa morali, suum errorem circa sacramentalitatem in formalem et consciam exclusionem eiusdem proprietatis convertat.

Demonstratio insufficientiae erroris etiam invincibilis (quia in casu subiectum bona fide putat exclusionem sacramentalitatis bonum esse) ad determinandam voluntatem sine ulteriore gressu in processu decisionali, i.e. sine positivo et formali actu voluntatis consciae, bene elucet in nostro casu. Contrahens, etenim, qui putat exclusionem sacramentalitatem esse bonum, logice et cohaerenter ritum religiosum excludere deberet, sed in casu ob rationes sic dictas profanas cum rito religioso matrimonium contrahit; quod saltem demonstrat voluntatem non automaticae aestimationem intellectualem secutam esse, i.e. rationes contrarias praevaluisse et subiectum suam mentem contradixisse. Quae rationes praevalentes in voluntate contra errorem intellectualem possunt quaedam vestigia fidei baptismalis servare quia in casu, uti

¹⁶ Cfr. G. VERSALDI, *art. cit.* (supra, nt. 14), pp. 200 et seqq.

adnotavimus, contrahens neque actu formali neque notorie suam fidem reliquerat. Quo in casu ergo non de carentia fidei loquendum est sed de eiusdem fragilitate seu paucitate quae tamen sufficeret pro validitate sacramenti. Ut carentia vel debilitas fidei nullum reddat consensum oportet ut per actum positivum et formalem exclusio sacramentalitatis manifestetur. Mihi ergo videtur carentiam fidei non esse demonstrationem exclusionis sacramentalitatis sed oppositum, i.e. probationem exclusionis sacramentalitatis fieri demonstrationem verae carentiae et non tantummodo debilitatis fidei contrahentis. Haud nego hanc possibilitatem seu casum in quo error ob carentiam fidei ducere possit ad exclusionem sacramentalitatis, sed puto hoc tantummodo per actum positivum et formalem voluntatis fieri posse. Agitur ergo de categoria simulationis et non de errore voluntatem determinante. F.M. POMPEDDA ad sustinendam suam thesim supra citatam de errore pervadente personam fide carentem loquitur de «*errore obiectum specificante*»¹⁷. Convenio omnino cum distinctione theoretica inter simulationem et errorem determinantem voluntatem, sed convenire nequeo cum eiusdem applicatione in nostro casu concreto. Etenim, uti bene adnotat ipse POMPEDDA:

*«error circa sacramentalem dignitatem, si fit error specificans obiectum substantialiter destruit et nullum reddit consensum, quia hoc in casu haberetur deliberatum propositum contrahendi matrimonium non-sacramentale»*¹⁸.

Sed in nostro casu illud «*deliberatum propositum*» excludendi matrimonium sacramentale non po-

¹⁷ F.M. POMPEDDA, *art. cit.* (supra, nt. 12) p. 61.

¹⁸ *Ibid.*, p. 61.

test identificari cum errore specificante obiectum consensus quia, uti vidimus, contrahens hoc in casu ritum religiosum cohaerenter excludere deberet. Notandum etenim bene est exclusionem sacramentalitatis differre ab exclusionem aliarum proprietatum matrimonii (fidelitatis et indissolubilitatis) quia exclusio sacramentalitatis valorem matrimonii religiosi totaliter aufert in favorem ritus mere civilis; in casu exclusionis ex. gr. indissolubilitatis obiectum errore specificatum extare potest etiam in celebratione religiosa nuptiarum. Sed si contrahens, ut in nostro casu, vult matrimonium religiosum, etiamsi erret circa sacramentalitatem, tunc nequit excludere sacramentalitatem sine positivo et conscio actu voluntatis contrario verbis quibus consensum exprimit, i.e. sine simulatione.

Si ergo verum est baptizatos vivere nostris temporibus in mundo et cultura fidei christianae praevalenter contrariis, mihi videtur non rectum concludere pro praesumptione in baptizatis contrahentibus contraria intentioni faciendi quod facit Ecclesia in matrimonio christiano. Etiam nostris temporibus de errore simplici agi potest et rectius aestimandae sunt illae causae sic dictae profanae ne extinguatur lux implicitae fidei baptizatorum qui matrimonium religiosum fine finaliter petunt. Tantummodo si error secumfert actum positivum et formalem quo sacramentalitatem contrahens excludit, i.e. si habetur simulatio consensu, tunc matrimonium invalidum considerandum est. Sed, uti bene adnotat Z. GROCHOLEWSKI,

«verum est sacramentalitatis exclusionem difficulter in praxi evenire posse, nam haud facile dari possunt rationes proportionaliter grave ad talem exclusionem perficiendam»¹⁹.

¹⁹ Z. GROCHOLEWSKI, *art. cit.* (supra, nt. 11) p. 295.

Si, e contra, carentia fidei praesumitur causa erroris qui voluntatem determinat ad excludendam sacramentalitatem, tunc facilius multiplicantur casus petitionum declarationum nullitatis matrimonii post eiusdem naufragium ex parte eorum qui tempore nuptiarum haud pleno fervore suam fidem vivebant et observabant: his in casibus agitur potius de positiva intentione contra indissolubilitatem post nuptias expressa quam de exclusione sacramentalitatis momento consensus.

D. FALTIN tres praebet rationes quibus categoriam erroris voluntatem determinantis in nostra quaestione excludit:

«Haud censeo pathologiam consensus "ob defectum fidei et intentionis suscipiendi sacramentum" in vigenti legislatione canonica posse et debere reduci sic et simpliciter quasi exclusive ad categoriam iuridicam erroris tribus saltem rationibus, i.e.: a) quia conceptus erroris non est univocus (...). b) quia relate ad fidei carentiam in concreto phoenomeneo creaturae humanae diversae dantur categoriae baptizatorum non credentium (...). c) sine dubio can. 1099 in relatione cum can. 1055 § 1 valida est ratio interpretandi can. 1101 § 2 quoad exclusionem dignitatis sacramentalis matrimonii»²⁰.

A. STANKIEWICZ in conclusione suarum considerationum relate ad errorem circa sacramentalitatem convenit, si bene intelligo, cum necessitate illum actum positivum voluntatis admittendi quo error in consensum influxum habere possit. Post distinctionem inter errorem stricto sensu (falsa intellectus sententia de sibi ignotis) et errorem circa cognitionem oppositi quo contrahentis voluntas affici potest, STAN-

²⁰ D. FALTIN, *art. cit.* (supra, nt. 10) pp. 29-30.

KIEWICZ affirmat hoc in casu factispeciem ad categoriam simulationis pertinere et ordinarie non dari. Et suam analysim circa omnes casus concludit affirmans:

«Cum habetur determinatio voluntatis contra proprietates essentielles vel contra sacramentalitatem, tunc in categoria simulationis sistimus, et praecise in simulatione partiali ob probatam difformitatem inter voluntatem errore determinatam et eiusdem externam manifestationem in matrimonii celebratione»²¹.

Bene concordat cum his conclusionibus principium pastorale iam citatum quod in Adhortatione apostolica *«Familiaris Consortio»* invenire possumus: necessitas illius explicitae et formalis rejectionis intentionis faciendi quod facit Ecclesia in matrimonii celebratione est unica ratio recusandi matrimonium baptizatis sine aliis impedimentibus petentibus. Si tantummodo haec explicita et formalis intentio coram pastoribus manifestata fit legitima ratio recusandi matrimonium, logice mihi videtur eandem formalem intentionem contra sacramentalitatem in animo contrahentis exigendam esse ut consensus vitiari et matrimonium nullum declarari possit.

Si categoria iuridica, sub qua casus baptizatorum non credentium et nihilominus ritum religiosum celebrantium adnumerandi sunt, est simulatio, tunc in processu canonico declarationis nullitatis eorundem matrimoniorum demonstratio iuxta triplicem traditionalem viam exigenda est, i.e. per confessionem simulantis, causam proportionatam simulationis et circumstantias antecedentes, concomitantes et sequentes.

²¹ A. STANKIEWICZ, «Errore circa le proprietà e la dignità sacramentale del matrimonio», in *«Apollinaris»*, LVIII (1984) 564.

Quae necessitas meo iudicio magis opportuna fit nostris temporibus cum etiam inter christifideles sic dicta mens seu cultura pro divortio diffunditur: multi etenim baptizati, qui debilem servant fidem et raro eandem observant, ritum religiosum sui matrimonii excludere nolunt, sed progrediente vita coniugali sive ob reales difficultates sive ob omissionem usus mediocorum et naturalium et supernaturalium desiderare possunt vinculum coniugale infringere et saepe ope legis civilis infringunt; cum novas volunt nuptias inire, iterum ritum religiosum excludere non intendunt et declarationem nullitatis antecedentis matrimonii obtinere conantur ob caput exclusionis sacramentalitatis foederis coniugalis, affirmantes rationem celebrationis sacramenti nullam significationem religiosam habuisse sed tantummodo profanam. His in casibus severitas in exigendis tribus elementis probationis simulationis partialis meo iudicio unica est via ut veri casus exclusionis dignitatis sacramentalis a falsis distinguere possint et abusus contra veritatem et verum bonum animarum vitari possint. Nam, si nimia cum facilitate his in casibus baptizatorum non credentium matrimonia declarantur invalida, tunc nullo modo fides horum christifidelium corroboratur sed immo credibilitas Ecclesiae minuetur, quasi via iuridica medium esset dissolvendi vinculum matrimoniale. Si, e contra, exclusio sacramentalitatis recto modo i.e. per viam simulationis partialis probatur, tunc sine dubio et mora declaratio nullitatis ob hoc autonomum caput pronuntianda est non sine cautionibus exigendis in casu novae petitionis sacramentalis celebrationis ex parte eiusdem contrahentis.

Uti patet, quaestio iuridica facilius solvi potest si mediis pastoralibus praeparatoriis recto et pleno modo pastores utantur, quia ante nuptias sponsi melius

interrogari possunt et libentius suum animum ordinarie manifestant ita ut quod in nuce remanet fidei contrahentium non destruatur atque mendacium et abusus sacramenti matrimonii vitentur. Collaboratio et concordia inter pastores et iudices quam maxime exigendae sunt pro bono communi Ecclesiae et salute christifidelium.

GIUSEPPE VERSALDI